DISSERTATIO INAUGURALIS,

DE

IMITATIONE.

Scott [illegible]

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUÆDAM

DE IMITATIONE

COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI Conſenſu,

Et Nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ROBERTUS SCOTT,

SCOTO-BRITANNUS.

Quid me ſcribendi tam vaſtum mittit in æquor?
Non ſunt apta meæ grandia vela rati.

Ad diem 24 Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO.

TYPIS GEORGII MUDIE ET FILII.

1797.

Surgeon Gen'l's Office
LIBRARY
W 5230
Washington, D.

VIRIS PRÆSTANTISSIMIS,

PRÆCEPTORIBUS SUIS,

JACOBO GREGORY, M. D.

MEDECINÆ PRACTICÆ

IN ACADEMIA EDINENSI

PROFESSORI;

ET

GULIELMO LIVINGSTONE, M. D.

MEDICINÆ

IN ACADEMIA MARISCHALLANA ABERDONENSI

PROFESSORI;

SACRUM ESSE VULT

AUCTOR.

Non ego ſum ſatis ad tantæ præconia laudis,
Aut memorare beneficiis quantum devinctus;
Ipſe mihi non ſi præſcribat carmina Phœbus.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

IMITATIONE.

ITA nati sunt homines, ut inter omnes esset societas quædam. Amor quidem sociatis in pectore humano, tam alte radices, ut nemo, utcunque ferreus, exstat; qui vitam solitariam, quamvis copiâ omnium rerum, quas natura dederat, maximè abundantem, ferre possit. Natura enim solitarium nihil amat, semperque ad aliquod tanquam adminiculum annititur. Ut conjunctissima sit societas hæc, conjungique

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

IMITATIONE.

AUCT. *ROB. SCOTT.*

ITA nati ſunt homines, ut inter omnes eſſet ſocietas quædam. Amor quidem ſocietatis in pectore humano, tam altè infidet, ut nemo, utcunque ferreus, exiſtat; qui vitam ſolitariam, quamvis copiâ omnium rerum, quas natura deſiderat, maximè abundantem, ferre poſſit. Natura enim ſolitarium nihil amat, ſemperque ad aliquod tanquam adminiculum annititur. Ut conjunctiſſima ſit ſocietas hæc, comiterque

inter ſe vivant homines, Pater Omnipotens iis dedit animos non ſolum flexiles, ſed etiam ad imitandum pronos; quæ propenſitas quoque præſidio menti eſt adhuc multò majori, quum ſcientiæ, quæ nobis contingit, multæ evadat principium. Diſcitur enim ſemper in omni, imitatione ſpontaneâ, longe procliviùs, perfectiùs, gratiùſque, quam præceptis inſtitutiſque.

Propenſionem hanc, non ſecus ac affectiones animi plurimas, conſociationibus ætate primâ conſtitutis, prognatam eſſe, quidam, uti Hartleius, Hallerus, Darvinus, &c. contendunt. Infantes, aiunt illi, actiones parvulas ſuas conſpiciunt, et vagitum ſuum audiunt; impreſſiones igitur in oculos aureſque ſuas cum actionibus ipſis conſociantur, ideoque repetitionem actionum earundem citant. Quâ de cauſâ impreſſiones ſimiles in eorum oculos aureſque aliis agentibus genitæ, effectum præſtant eundem; et ſic actiones quas vident, atque ſonos quos audiunt, imitari diſcunt infantes. Præter hunc,

hunc, propenſio imitatrix, uti dicunt, fontes alios agnoſcit; velut, ſimilitudinem, quam inter ſua et aliorum corpora infantes detegunt; voluptatem, quam imitationes, vel actiones iis præbent; exhortationem et præcepta, quæ iis ſuper hâc re ſuppeditantur; notiones tumidas, quas accipiunt de facultatibus adultorum et felicitate; et hæc acquirendi aviditatem *.

Nobis quidem ſubmiſſè ſanè (uti decet eos, qui philoſophiæ oras labris tantum primoribus attigerint), ſententiam de his gravibus dicentibus, arridet magis Reidii †, aliorumque opinio, qui dicunt propenſionem imitatricem (imitatione illa omiſſa, quæ artes mimeticas conſtituit, et quam Ariſtoteles exiſtimat, eſſe humano generi tam neceſſariam et propriam, ut hominem τὸ ζῶον μιμητικὸν appellaverit), naturâ nobis eſſe innatam.

* Hartl. Theory of the Human Mind.

† On the Active Powers of Man, Eſſ. III. ch. 2.

Inſtinctû intelligitur impulſus ad actiones quaſdam nativus; de quibus, ille, qui agit, priùs in animo ſuo nec inſtituit, nec penſat, nec plerumque notitiam ullam complectitur *. Interpretationi huic reſpondet ad amuſſim imitandi propenſitas, quæ homines plerumque inſcios, atque porrò invitos, aut etiam contra nitentes, hùc et illùc ſecum rapit.

Forſan equidem, non ſecus ac appetitus alii nativi, nonnunquam a fortuitis, aut adaugetur aut diminuitur; ſed parens rerum providens, affectionem, conſortio hominum tam neceſſariam, ſorte variâ oriri non finit.

At homines, inſcientèr forſan vel invitè, animi aliis facultatibus præter propenſionem imitatricem, et præſertim imaginationis viribus, ad imitandum impelluntur. Modos igitur omnes,

* Reid on the Active Powers of Man.—Ancient Metaphyſics, vol. II. p. 299.

omnes, quibus homo ad hominem imitandum eſt pronus, vel ſcientiam imitatione adipiſcitur, nunc tractabimus.

De Imitatione, *Quatenus ex eâ Actiones Voluntariæ Proficiſcantur.*

Homo, inuente ætate, animi pariter ac corporis eſt impotens. Plurimis autem ad actiones incitamentis naturâ præditus, propriis manibus futuræ ſuæ ſcientiæ fundamenta jacere confeſtim incipit. Inter hæc, propenſitas ad imitandum nativa opportunè viget.

Animalia quædam ſimul atque nata, ambulant: homo autem in regionibus hiſce anniculus, et in illis, in quibus naturæ non renititur, quoque ſemeſtris prius ferè eſt, quam propriis pedibus ambulare incipiat. Darvino eximio, qui omni fermè inſtinctui repugnat, cauſa

cauſa hujus diſcrepantiæ non latet. Natantes motus, quos hominum pecudumque genus in utero edit, horum at non illorum, poſt nativitatem ambulantes motus referre; indèque brutam neophytam ambulare jam didiciſſe, ille feſtivè annotat *. Animans omne perceptionibus iis nativis ſolummodo, quæ ſunt illi vel neceſſariæ vel præcipuè utiles, naturâ præditum eſt: bruta harum (de iis, quæ nexum inter animal reſque externas faciunt, præſertim loquimur), multò plurium indigent; quam homo, cui oppido paucæ ſunt. In homine, verbi gratia, viſum, naſcendi initio valde imperfectum †, experientiâ multo perfectiorem fieri veriſimillimum eſt; ſed brutis, ut viſus iis ex primâ ætate ſit perfectus, opus eſt ‡. Idem ad ambulandum

* Zoonomia, vol. I. p. 438.

† Vid. Cheſeld. Anatomy, Reid's Inquiry into the Human Mind.

‡ Conſtat ex obſervationibus perill. Prof. Stewart, agnos atque pullos gallinaceos arte excluſos, diſtantiam rerum primis ætatis momentis, oculis accurate percepiſſe.

ambulandum adhibere poſſumus; bruta ex inſtinctû; homines autem, ex experientia partim forſan ab imitatione pendente, illud conſequuntur.

Homines loquelam imitatione ſolummodo adipiſci, conditio eorum, qui ſurdi naſcuntur, demonſtrat. Ineptè exiſtimabant olim plerique, fore, ut infans, cui loquelam audiendi occaſio nunquam erat data, ſermone quodam (linguâ primævâ, uti opinabantur), tamen uteretur. Sed pro certo nunc habetur, fore, ut vir ſic educatus, loquendi facultate prorſus careret, vel ſolum ſonos confuſos illi fortuitò oblatos imitaretur; et ejus ſenſa pauca emotioneſque, gemitû, riſû, aliiſque ſignis nativis indicaret. Narratur viros extra ſocietatem in deſertis educatos, vocem belluarum, quibus deſertum erat frequentiſſimum, interdum protuliſſe *.

Pueri

* Halleri, Phyſ. el. tom. V. p. 560.

Pueri jam loquentes, ſi caſu quovis fiunt ſurdi, ſæpius obmuteſcunt; ſed in exemplis raris *, ex vocabulis aliis, quæ jam edidiſcerant, retentis, aliiſque a ſeipſis formatis, linguam propriam ſuis ſolum intellectam fabricârunt.

Surdis, hominum commercio penè ſegregatis, ſocietatis delicias impertit ars, viros miſerabiles ſonos ex aliûs ore effugientes oculis quaſi percipere, ſimileſque ſuo ore effingere docendo.

Darvino eidem celſ. placet, avium cantum, canis latratum, et pleraſque alias voces animalis uniuſcujuſque proprias, ſcientiam eſſe acquiſitam, et imitatione traditam †. Liquet tamen voces haſce inſtinctivas et nativas ſaltem plerumque

* Burnett's Letters, p. 248.—Beattie's Diſſertations, Moral and Critical, p. 237.

† Zoonomia, vol. I. p. 155.

plerumque esse, atque hominis loquelam inter et illas magnam intercidere discrepantiam. Species animalium unaquæque vocem in regione omni unam et eandem edit *: ita etiam lingua hominis nativa, quæ pathemata animi exprimit, per totum terrarum orbem est eadem omnibusque intellecta; nisi cum arte obscuretur vel deformetur. Vox animalium confusa, in sonos simplices dividi non potest: quibusdam est periodica. Ut eorum sensa promerent vel communicarent, animalia pleraque vocem manifestè non adhibent; et affectus, quos animalia sibi invicem impertiunt, intelligere videtur proles tenera æque ac parens. Non inficiandum est, animalibus esse memoriam; sine hâc enim, neque facultates eorum corporeæ homini utilitati, neque instinctus eorum nativi

 sibimet

* Dicitur quidem luscinias unius regionis, melius canere, quam aliûs; neque bene canere eas a parentibus non educatas. Aves quædam diatonicis intervallis loquuntur; ex arte, an, vel naturâ?

ſibimet cuſtodiæ idoneæ fuiſſent. Memoriam tamen illis eſſe, tantùm ſubitam recordationem et fugacem; et non eam, " infinitam, perpe-
" petuam, rerumque innumerabilium," quæ eſt hominis propria, ſatis conſtat. " Soli homi-
" ni loquela datur, quippe qui ſolus mirabili
" dono uti noverit. Multa profectò animalia
" loqui didicerunt, nulla vero loquelâ uti:
" ſcilicet quia mens deeſt *". " Le vulgaire," dicit Ill. Bonnet, qui de naturæ ſtudioſis tam benè meret, " croit qu'on enſeigne aux Bêtes
" à parler; il ne ſait pas, que parler, c'eſt lier
" ſes idées à des ſignes arbitraires, qui les re-
" preſentent. Les phraſes, que le Perroquet
" repète avec tant de préciſion, ne prouvent
" pas qu'il ait les idées attachées aux mots
" qu'il prononce: il pourroit prononcer auſſi
" bien les termes des ſciences les plus abſtrai-
" tes.

* Gregor. Conſpec. Medicin. vol. I. p. 314.

" tes. Qui ne voit que c'eſt ici un jeu pure-
" ment automatique *?"

Imitatione hominis loquela non modo acquiritur; ſed etiam acquiſita ſæpe, qualitate præſertim, mutatur. Hominum quîcum verſatur, ſermonis prolationem, vir adultus, inſcius vel forſan invitus, cito acquirit. Vocem quoque, tono dulci formare, alios imitando diſcimus: vox enim ſurdorum, qui voces docti fuerunt, et qui ſonos vel ſuos vel aliorum nunquam audiêrunt, valde durè ſonat.

Sed ad loquelam adipiſcendum aptitudo ætate decreſcere videtur. Viro muto jam maturo diu vel forſan etiam in perpetuum repugnarent voces; id, quod conditio ferorum, qui ex locis deſertis in hominis commercium fuerunt evecti, commonſtrat. Pueri necnon linguam alienam diſcunt, multò citiùs faciliùſque

* Contemplation de la Nature, tom. II. p. 218.

quàm ætate provectiores. Hujus in cauſa eſt non ſolum corpus ætate mutatum, ſcilicet organa loquelæ rigeſcentia, et ad motus novos acquirendos minus expedita; ſed etiam et mens. Dociliora prius ſunt ingenia, quám obduruerunt. Simpliciùs aptiùſque alios ſequuntur atque imitantur infantes. Abeſt illis etiam adhuc laboris judicium; et porrò minus afficit ſenſus fatigatio, quam cogitatio *. Atque Ciceronis opinioni prorſus aſſentire nolo, animo eſſe difficili, morum non ſenectutis vitium eſſe.

Vitia loquelæ quoque non pauca, imitatione ſæpe mirum in modum propagantur. Quintilianus ergò bene monet, ne ſit vitioſa loquela nutricibus; harum enim verba effingere imitando conatur os pueri adhuc tenerum balbumque.

De

* Quintil. Inſtit. Orator. l. I. ch. 11. ſec. 2.

De Imitationis *in Animi Affectus Imperio.*

Uti inter partes corporis humani omnes, ſic hominem inter et ſocium mirus exiſtit conſenſus.

Viro, cui vacuus et tranquillus animus eſt, ſi fortè occurrat alter aliquo animi motu, moerore putà, affectus; ferè protinùs, uterque, utriuſque animi affectionis, participes fiunt, ſic ut illi tranquillitas aliquantùm turbetur, huic levetur mœror. Alter quidem alterius emotionem ſolummodo ſuæ imaginationis ope ſentit; atque ſympathia conditionis emotionem cientis, quam emotionis ipſius conſpectû magis exoritur *. Illi enim vacuo, cauſæ hujus emotionis adhuc neſcio, *perpeſſio idealis*, (ſi celeberr. Kames † verba uſurpare fas ſit), neutiquam

* Smith's Theory of Moral Sentiments, ſect. I.

† Elements of Criticiſm, ch. II. p. 1. upon Ideal Preſence.

neutiquam vel ſaltèm levitèr exſuſcitatur, igiturque nulla vel tantum parva eſt ſympathia: ſimul tamen ac ille cauſam emotionis cognoſcit, ſeipſum imaginationis ope in affecti locum quaſi tranſlatum contemplatur; atque ſic compaſſione erga affectum impletur ejus pectus. Itaque compatientis et affecti emotiones interdum admodum diſſonant; qui enim ſui miſereſcere non videtur vel poteſt, ejus tamen nos miſereat. Voluptatem mutuam præbet hæc ſympathia. Afflictis conſolari, æque ac proſperis congratulari feſtinamus, voluptate quam compaſſio præbet, dolorem quem afflicti conditio in nobis gignit, ſuperante.

De emotione omni, quâ hominis animus turbatur vel afficitur, hoc, mutatis mutandis, verum eſt; et ſympathiam inter homines ſummam et utiliſſimam conſtituit.

Sympathiæ ſpecies eſt alia inferior et (ſi licet dicere) ignobilior; ex quâ genus humanum, quoad

quoad animi emotiones, tyrannidem gravem ſæpe patitur. Perturbationibus animi quibuſdam furioſis præſertim adhærens, earum expreſſione ſolum et conſpectû movetur. Panicus terror, cohortes maximas, et victores juxta ac victos, dicto citiùs interdum pervadit; atque unoquopiam furiis impulſo, ſæpe cooritur ſeditio, ſævitque animis ignobile vulgus. Agnoſcitne hoc aliam cauſam, quam propenſionem ſolam imitatricem?

En ſympathiæ inter homines ſpeciem etiam aliam, quæ corpori quam animo magis ineſſe videtur, et quæ ab auctoribus quibuſdam haud ineptè appellatur, "cette imitation machinale, "qui nous porte, malgrè nous, à repeter ce "qui frappe nos ſens *."

Imitatio vel conſenſus hic in corporis motibus

* Rapport des commiſſaires chargés par le Roi de l'examiner du magnetiſme animal.

bus compluribus, voluntati penitus non obſequentibus, ſed propenſionis nonnihil ſtipatis, *primum* conſpicitur. Oſcitationem, pandiculationem, atque alias ſimiles actiones eſſe valdè contagioſas, omnibus notum eſt.

Secundo, expreſſiones animi pathematum nativæ, imitatione pervagantur.

—" Ut ridentibus arrident, ita flentibus adſunt
" Humani vultus. Si vis me flere, dolendum eſt
" Primum ipſi tibi.——

Mihi quidem occurrit, expreſſiones haſce ſæpe eſſe animi jam ſympathia moti ſigna; ſed quoque videtur interdum primigenias, et emotione animi nullâ natas; imo etiam nonnunquam eſſe emotionum ipſarum matrem. Naturâ homines adeò non poſſunt, quin alius erga alium ſympathiâ moveatur; ut ab illo, qui non ſic moveatur, humani nihil putemus

non

non esse alienum. Tamen interdum accidit, voluntatem vel emotiones fortiores animum alibi propellentes, sympathiam sinceram superare. Ut verùm in nobis appareat decus humanum; vultû, quàm maximè possumus, animum sympathiâ verâ emotum simulamus. At hilaritas in cœtu nobis injucundo, primò simulata, sincera cito evadit; et si gestum, quo emotio quælibet se induit, imitamur, in eam, inviti vel imò contra nitentes, cito incidimus *.

Nexum faciei exterioris cum interiore hunc, et facilitatem quâ servi et inferiores acquirunt, non solum mores sed etiam vultum superiorum, quos venerantur, conspicatus cels. Rush, quærit, nobisne, ad cujusvis indolem aspirantibus,

* Narratur Columellam Physiognomonem clarum, vultû atque gestû viri, quem perscrutabatur, simulatis, habitûque dein proprii animi pertentato, ejus indolem deprehendere solitum esse.

tibus, vultum ejus moresque externos imitari, quicquam prodesset *?

Atque hoc nos inducit, ut effectus consideremus, quos in hominis indolem vultumque imitatio præstat.

Bene notum est, nationibus plerumque esse venam animi propriam et constantem, æque ac mores aliaque. "Multa sunt," dicit Cicero, "civibus inter se communia—judicia, suffragia, "consuetudines præterea et familiaritates, "multæque cum multis res, rationesque con-"tractæ." Atticus sal, Punica fides, Bœotica indocilitas, proverbia apud antiquos erant contrita: Britanni perspicacia, Galli mobilitas, Germani

* Observatio hæc antiquis non latuisse videtur. "Elige illum," dicit Seneca, "cujus tibi placuit et "vita et oratio; et ipsius animum ante te ferens, et "*vultus*, illum semper tibi ostende, vel custodem, vel "exemplum."

Germani tarditas, ad proverbia noſtris temporibus nota ſunt. Varietates haſce hæreditarias et congenitas aliquâ ex parte eſſe non quidem inficiandum; illas verùm, etiamque indolem animi propriam, quam ſtirpes ſingulæ ſæpe diu retinent, imitationis et educationis fructum præſertim eſſe, veriſimillimum eſt. Exiſtimarunt quidam, animi propenſiones nationum proprias, cœli temperie aliiſque phyſicis eſſe prognatas: ſi autem totum terrarum orbem percurrimus, et omnium gentium annales pervolvimus, quod annotat exempliſque illuſtrat Humius Ill. *, contagii ubique, ſed, nuſquam terrarum, cœli vires in conſtantes animi habitus deprehendimus. "Imitation," dicit Burkius inclytiſſimus, "forms our manners, our opinions, our lives. It is one of "the ſtrongeſt links of ſociety; it is a ſpecies "of mutual compliance which all men yield

* Eſſay on National Characters.

" to all without conſtraint to themſelves, and " which is extremely flattering to all." Qui a ſuis propter ejus dignitatem vel virtutem colitur, ſenſus, in quos cunctus populus eſt propenſior, is aliquando mutabit *. Amorem patriæ vehementem atque perennem in pectore Romano accendere poterat Brutus; et

——————— " componitur orbis
" Regis ad exemplum. Nec ſic inflectere ſenſus
" Humana docta valent, ut vita regentis.
" Mobile mutatur ſemper cum principe vulgus.

CLAUDIUS

Mutua quidem indolis morumque imitatio veram et ſinceram amicitiam ſolum conſtituit; is enim ſolus eſt amicus verus, " qui eſt tan-" quam alter idem;" altero alterius animum ita cum ſuo miſcente, ut efficiant pæne unum ex

* Hoc in Ethice obſervatu dignum eſt.---Vid. " An-" cient Metaphyſics," vol. II. p. 128.

ex duobus. Hinc ratio patet, cur amicitiæ in ſcholis et inter juvenes cultæ, ſæpe ad ſenectutem uſque firmiſſimè durent: animus enim adhuc informatus, mollis, neſciuſque fallere, in figuram quamlibet, ſicuti lutum, effingi poteſt. Ex his quoque conſtat, quam fidele ſit præceptum *, quod ſuadet, ut homines hominum ſocietate temperantèr comitèrque utantur; ita enim homines ſibi mutuo moderabuntur proderuntque, atque concentus ſocietatis ritè conſervabitur. Obſervatio perantiqua erat, ſenes, qui juvenum congreſſui frequentes ſe miſcuerant, converſatione non interrupta, longævos evaſiſſe; cum ſpiritus eorum, uti dicebant, ex tali conſortio fuerant recreati.

Quamvis Dri. Parſons aſſerenti, oris expreſſionem infantibus omnibus recèns natis eſſe eandem, non aſſentimur; quoniam Monroius noſter perill. vultûs muſculos figurâ et proportione

* Gregor. Comparative View of the Faculties, &c.

tione in viris diverſis admodum variare, compertum habeat; veruntamen liquet expreſſionem vultûs poſt nativitatem plurimùm formari. Formatione hâc ætate, quâ propenſio imitatrix præſertim viget, præcipuè peracta; fidei minimè abſonum eſt, ſtirpium ſimilitudinem quoad vultum (præter quoque ſimilitudinem, quam gignunt indoles moreſque ſimiles), hoc modo ſæpe partim fieri. Vitia vultûs, et præſertim viſûs, quædam, v. g. ſtrabismum, myopiam, imitatione nonnunquam ſerpere in liquido parum non eſt.

Tertio: ſympathiâ hâcce cerebrum nervique crebrò quodammodo affici videntur. Qui alium ea, quibus dentes ſtupidi fiunt et obtunduntur, edentem conſpicit, ſuos ſibi dentes hebetari ſentit; atque qui alium diuturnos in gyros actum videt, ipſe in vertiginem rapitur. Multi etiam ex conſpecto alterius ſanguine, torturâ, ſtrangulatione, patiuntur animi deliquium vel

corporis

corporis dolorem, ac ſi ipſorum flueret ſanguis, et in ſe infligerentur hæc; et interdum,

" Dum ſpectant oculi læſos, læduntur et ipſi."

Effectus hos præſtat non propenſio imitatrix, ſed vis imaginationis propria. Ex ſignis externis doloris aliiſve, ſpectanti patet dolor periculumve, in quo verſatur, verſarive videtur animus affecti, vel corpus. Illius imaginatio, ſenſus cæteros viribus ſuis quaſi cæcans, ſeſe in hujus loco eſſe ſibi fingit, atque animum corpuſque ita ſe gerere impellit, ac ſi ipſamet paterentur. Qui conſpicit ictum alteri imminentem, ſeſe amovet, proindè ac ſi ipſi imminneret. Docent ſatis multa, phantaſiam ſæpe ita eſſe exſuſcitatam, ut " impotens jam facta, " non ſolum rationi inſultet, verùm eidem vim " quodammodo faciat, partìm occæcando, par- " tìm exſtimulando." Ex aliis non paucis necnon nobis eſt indubium, imaginationem plurimum valere in imaginantis corpus; in ejus

ejus motus ſive voluntati ſubjectos, ſive non; inque ſenſus quoque externos, aliaſque corporis functiones: quamvis nobis adhuc latet, et forſan ſemper latebit, quomodo animus corpus afficiat, et ab eo afficiatur viciſſim.

Poſtremo: muſculorum motus abnormes vel ſpaſmi in functionibus et naturalibus et animalibus, imitatione propagantur. Hyſteria præſertim, inter multas alias, cauſam hanc agnoſcit; per hoſpitia et noſocomia inter foeminas, imitatione aliquando latè ſpargitur. Epilepſia atque convulſiones etiam cœtus haud infrequentes eodem modo rapidè nonnunquam percurrunt. Tetanus porro, inter eos qui fuerunt vulnerati, ut ex obſervationibus ſuis cenſet Blanius *, aliquando ita ſerpit.

De hâc imitatione morbiſque ſpaſmodicis quædam notatu obiter digniſſima ſunt.

Hiſce

* On the Diſeaſes incident to Seamen, p. iii. ch. 4.

Hiſce perpenſis, patet forſan ratio, quamobrem morbi hujuſmodi aliquot regionibus in quibuſdam ſolummodo vel præcipuè accidant. Species convulſionis vel epilepſiæ propria in inſulâ Zeale perquam frequens eſt *. Tarantiſmus (Sauv.), in Apulia, et apud Scotos, qui quandam præfecturæ Anguſianæ partem † incolunt, eſt endemius.

Motus communicati, quoad violentiam, communicantibus non ſemper conſonant. Paroxyſmus hyſteriæ commotus, quam commovens, in caſu qui Gregorio noſtro perill. occurrebat, erat multo dirior. Hanc propagationem morborum ſpaſmodicorum et præſertim epilepſiæ, interdum eſſe effectum formidinis, quam in

 ſpectante

* Whytt's Works, p. 582.—Statiſtical Account of Scotland, vol. I. p. 386.

† Cullen's Firſt Lines, § 1353.—Statiſtical Account of Scotland.—Art. *Fern, Menmuir*, &c.

ſpectante convulſiones diræ commovent, veri ſat quidem ſimillimum eſt; formido enim, terror, aliæque animi vehementes perturbationes, variis modis excitatæ, epilepſiam et convulſiones haud rarò inducunt. Retur equidem Hoffmannus " vehementes in animâ ſic dicta " ſenſitivâ paſſiones" proprias motiones morboſas peculiari modo fovere et ſuſtinere, atque inter illas, terrorem ſpeciatim " operationes " ſuas ſpaſmo exſerere." Sed hujuſmodi propagatio ſæpe, ut Cullenus venerabilis * benè annotat, accidit, quando nihil eſt, quod formidinem excitare poſſit; ideoque imitationi ſolæ ferè ſemper tribuenda eſt. Anne unquam ad hanc propagationem quicquam præſtat novitas? " Some degree of novelty," inquit Burkius, " muſt be one of the materials in every inſtru- " ment which works upon the mind, and cu- " rioſity blends itſelf, more or leſs with all our " paſſions."

Si

* Firſt Lines, § 1292.

Si autem ſæpius nulla animi emotio (vel ſaltem talis perturbatio ſtrictius dicta, qualis ipſa effectum hunc producere poſſit) prægrediatur; tamen certè, uti experientia docet, concitatur ad imitationem ille ſolum, cui animus eſt ſolutus vel potius ad ſpectaculum conciliatus; at non ille, cui animus haud levitèr aliis eſt commotus. Boerhaavius celeberr. hujus haud neſcius, ad ſingularem caſum remedium eventû cum optato adhibebat *. Conſtat necnon, multa quæ animum ſtrenuè avertant, aliquot hujusmodi morbos ipſos, et præſertim hyſteriam, ſæpe aliquandiù vel etiam in perpetuum depellere †. Imo quoque veriſimillimum eſt, voluntatem ipſam ſtrenuè adhibitam, ad hyſteriæ reſiſtendum interdum ſat fore. Darvinus cels. corporis conſtitutionem morbis

* Vid. Kaau Boerhaav. impet. faciens, § 406.

† Conſul. Ruſh. Medical Inquiries and Obſervations, vol. I. p. 223.

hiſce maxime obnoxiam, temperamentum *voluntaritatis adauctæ*, haud ineptè appellat *. Temperamenti hujus, ut dicit, proprium eſt, iis, quæ gratè vel ingratè tametſi leviſſimè, illos quibus contingit tale temperamentum, afficiant, hæc ut evitent, illa ut adipiſcantur, animum ſuum dedere. Propenſitatis gratificatio, voluptatis nonnihil aliquando præbere videtur. Motus choreæ convulſivæ ex parte ſunt voluntarii; atque ſpectantibus riſum movendo gaudere videntur ægroti. Triſmi traumatici paroxyſmos, teſte Blanio †, ſenſatio non dolorifica ſed grata in caſu uno comitabatur.

Imitatio videtur interdum conſiſtere ſolummodo in morbo vel actionibus ad animum revocatis. Dicitur, oſcitantis imaginem, ſpectatoribus multis forſan modò hilaritudine riſûque

* Zoonomia, vol. I. p. 358.

† On the Diſeaſes incident to Seamen, p. iii. ch. 4.

que geſtientibus, oſcitationem ſæpe faceſſiſſe. Qui convulſionibus Zealicis eſt obnoxius, alium inter paroxyſmum ululantem, quamvis è procul audiens, ipſemet confeſtim morbo prehenditur *. Epilepſia formidine quâdam primum inducta, ab aliquâ re per ſe nequaquam horrendâ vel nocivâ, ſed cum prioris terroris cauſâ quodammodo conſociatâ, multò poſt revocata fuit. Galenus ergò benè præcipit, ut caveamus, ne aliquid, cui morbus in ægroti animo eſt affinis, illum offendat.

Imitationi huic, non ſecus ac morbis, qui hâc propagantur, haud eſt pariter opportuna conſtitutio omnis. Morbis hiſce in genere apprimè obnoxium eſt temperamentum (nervoſum dictum), " cui inſignis generis nervoſi de-
" bilitas et mobilitas contingunt. Talis gene-
" ris nervoſi conditio in omnibus temperamen-
" tis, facilius vero in ſanguineo vel puro, vel

" cum

* Statiſtical Account of Scotland, vol. I. p. 386.

" cum phlegmatico mixto, effici poteſt, vitæ ge-
" nere ſcilicet otioſo et ſedentario, nimia ſan-
" guinis abundantia, calore, aliiſque cauſis;
" hinc apud divites, et ignavos, et luxurioſos
" frequentiſſima; veteribus fere ignota, ſaltem
" multo rarius inter eos obſervata, recentibus
" jam fere per centum annos ſatis ſuperque
" cognita." Fœminæ quoque, " molliores et
" delicatiores ſunt quam viri; et animos pariter
" ac corpora mobiliora habent, et magis oppor-
" tunæ ſunt morbis nervoſi generis" *. Imo etiam extiterunt aliquot, quibus propenſio imitatrix longè ſupra modum erat vehemens. Dr Garden † narrat virum, a primâ infantiâ pronum fuiſſe, ad imitandum motus corporeos in aliis viſos, ſine voluntate, imò contra eandem; quod enim videbat alium facere, idem mox, eodem modo imitâſſe ſicut pantomimum, ejus

* Gregor. Conſp. Medicin. Theor. § 932, 934.

† Philoſophical Tranſactions, No. 134.

ejus capite, oculis, labiis, manibus, brachiis, pedibus; hinc in publico insediſſe, clauſis ſemper oculis, et in ſodalitio averſum a ſociis.

Quamvis autem imitationis hujus imperium, alii gravius patiantur; forſan tamen eſt nemo, qui ſemper illi prorſus reſiſtere poteſt. Id docent fanatici corporis motus, longè latèque ſeſe mirum in modum diffundentes, atque doctos indoctoſque, philoſophum æque ac ruſticum urgentes.

Conſtat equidem poëtas alioſque ingenio acri pollentes, quibus ſæpe eſt temperamentum melancholicum, et major ad res leves attentio, in has actiones cerritas imitando perquam proclivitèr incidere. Ad illa, quæ mens ſui potens extemplò reſpuit, ſollicitè attendens imaginatio, ratione ſpretâ, impellitur.

Huic in imitationem morboſque ſpaſmodicos propenſioni, præſertim in fœminis, certè ſæpe fovent

fovent mores molles, præcipientes (præter effectus, quos edunt in corpus, alios), ut labori et terrori leviſſimis cedant. Hoc docet, quam neceſſaria ſit omnibus, ad vitam ritè agendam, robur animi et conſtantia idonea. Clar. Falconer ergò benè monet medicos, ſeſe de terroribus fœminarum, quibus conſulant, levibus falſiſve, haud nimis ſolicitos ferant. "Nothing," dicit ille, "ſo much enhances the apprehen-
"ſion of danger, or ſo often cauſes thoſe on
"whoſe account the care is taken, to believe
"that the hazard is greater than it really is,
"as too great, and eſpecially very apparent,
"ſolicitude to avoid every thing which gives
"uneaſineſs. Such circumſtances frequently
"recurring, keep them in a ſtate of painful
"irritability, which in reality conſtitutes the
"diſorder. It would be much better to inure
"ſuch perſons gradually to the common oc-
"currences of life, and to the occaſional
"mention of ſuch things, which, if not mag-
"nified by the relation, or dwelt on as merit-
ing

" ing attention, will come in time to be disre-
" garded, and the effects destroyed" *.

Videtur necnon, propensionem ad imitationem invitam, vultum aliorum cæterasque affectiones subindè de industria imitando adaugeri. Quod cum phænomeno alio quadrat, scilicet vitiis morbisque quibusdam, v. g. linguæ titubantiâ, hysteriâ, epilepsiâ, imo quoque insaniâ, ex simulatis, veris evadentibus. Et certò scimus, mimos usû magis expertes fieri.

De *Imitationis in animum percipientem Imperio.*

Notiones, quas de pulchritudine homines accipiunt, multùm esse sub imitationis ditione, conspectus earum naturæ commonstrat.

* Dissertation on the Passions, &c.

Niſi corpus tale eſſet, ut rem quamlibet exprimeret, quæ naturâ emotionem in nobis commovet; pulchritudinis ſenſus, vel emotio propria compoſita, quæ ſenſum hunc comitatur, vel in quo hic ſenſus potiùs conſiſtit, a nobis non percipitur. Corpora igitur ad ſenſum pulchritudinis commovendum, tantum apta ſunt ſolummodo, quantum ad ea exprimenda, quæ animum percipientis, emotione quâdam ſimplici, velut hilaritate, triſtitiâ, &c. movere poſſunt. Quamvis autem emotio ſimplex quædam, propriam compoſitam ſemper prægrediatur; tamen ad hanc excitandam, neceſſe quoque eſt, ut imaginatio ſeſe ritè exerceat. Denique emotione hâc, atque voluptate propriâ quæ comitatur, nos impellimur eo tempore ſolum, quo imaginatio ideas complures rectè atque ordine conſociatas, atque emotione ſimplice exorientes, perſequitur.

Quod animum viri primi quodammodo movet, in alio emotionem diverſam, in tertio nullam

nullam forſan, illud ipſum excitabit; quæ diverſitas, naturæ indolique modo inſitis, modo prorſus vel ex parte adventitiis, eſt tribuenda. Diverſitas hæc, uti ex prædictis in liquido erit, diverſitatem gignit parem, in illâ emotione compoſitâ, in quâ conſiſtit pulchritudinis ſenſus: indoleſque propria ſæpe ita efficiet, ut pulchritudinis genera (uti vulgo dicitur) ſolummodo aliquot percipere poſſimus. Pro tempore quoque animus ita affici, vel emotione ita implicari poteſt, ut pulchritudinem quandam, quæ alio tempore illum grate commoviſſet, neutiquam animadvertat. Ad ſummum igitur, (hæc enim exemplis illuſtrare, modus nobis conſtitutus non permittit) quantâ manu in animi et affectiones ſtabiliores et emotiones fugaciores, fermè tantâ in animum, quatenus genera quædam ſola pulchritudinis percipiat, imitatio imperium ejus exercet.

Corporis tamen ipſius nihil forſan eſt proprium, quod per ſe animos noſtros emotione

ullâ ſtrictius dictâ moveat. Emotionem tantùm in nobis gignunt corporis propria, quantùm animo exprimant vel indicant ea, quorum in naturis eſt animum movere. Facies viri, verbi gratia, indolem quandam; artis forma, utilitatem vel aptitudinem vel artificem callidum; et naturæ qualitates, periculum vel ſecuritatem, copiam vel inopiam, nobis indicant. Conſociationum harum aliæ viris omnibus ſunt ſemper eædem, quia pendent ex quâdam animi dote conſtante, vel baſi fixæ inhærent; âliæ autem inſident baſi, quæ admodum variat, et mutabiles hominis animos penès eſt. Hujuſmodi eſt dignitas, quæ adhæret vilibus per ſe atque deformibus, quamdiù laude nobilitatis gratiâque efferuntur: atque hoc modo inſtituuntur, gentium, quoad corporis venuſtatem et cultum, ritus moreſque interdum regnis perenniores, ſæpe tamen ipſi annis fugaciores.

Imitationis imperium, in hominum, de ſermonis et orationis pulchritudine, judicium, ſat conſpicuum

ſpicuum eſt. Criticorum vox paucorum (criticorum porrò livore ſæpe gravium), vox populi perſæpè eſt. Oratio hæc ſeculum illud; illa tametſi valdè diverſa et forſan etiam ſanè jejuna exiliſque, hoc oblectat: atque

" Multa renaſcentur, quæ jam cecidere; cadentque,
" Quæ nunc ſunt in honore vocabula, ſi volet uſus;
" Quem penes arbitrium eſt, et jus, et norma loquendi."

Sæculi corrupti vox, opera humanæ imaginationis ſumma, ad orcum demiſit; imâ, ad cœlum tulit: donec ingenium aliquid integrum, illam ad æquum revocavit.—Heu, quam mimicus! ad vires ſuæ mentis ritè exercendum, quam piger eſt homo! " Cauſa " vero et radix fere omnium malorum in " ſcientiis ea una eſt, quod dùm mentis hu- " manæ vires falſò miramur, vera ejus auxilia " non quærimus."

De *Imitationis in ingenium Imperio.*

Hominum ingenia admodum inter ſe diſſident: totidem enim fermè reperiuntur ingeniorum, quot corporum formæ. Naturâ certe inſtituuntur harum complures varietatum; atque naturaliter præſtat haud parùm ingenio, alius alium; ſed ad ingenium formandum definiendumque, educatio et imitatio plurimum valent.

Si natura, ſimili cum venâ, educatione futurâ variandâ, omnes donaſſet; qui eodem modo educantur, ingenium par exhiberent. Ingenium ſplendidum in ſitu minimè felici ſæpe floruit: peculiare, ſtudium tantùm ad unicum a naturâ quaſi fictum, præcepta et exempla graviſſima haud rarò ſuperavit. Præterea exiſtimandum eſt, neminem in ſcientia quâlibet "unquam eſſe virum magnum ſine "aliquo afflatu divino;" vel doctrinam artem-

ve

ve unquam quicquam valere, nisi adjuvante naturâ.

E contra tamen disciplina adolescentiâ vel de industriâ data, vel casû et ex imitatione arrepta, venam ingeniumque insitum sæpe explicat; sæpe moderatur, seu penitus obruit. Opinio erat perantiqua (nec hodie quoque illi desunt Patronæ), solum Naturæ afflatum, ad ingenium, præsertim poëticum, constituendum valere. Opinio hæc quam inepta sit, et ad Poëtam formandum et alendum necessarium esse, ut discat Poëta

——————" patriæ quid debeat, quid amicis
" Quo sit amore parens, quo frater amandus, et hospes;
" Quod sit conscripti, quod judicis officium; quæ
" Partes in bellum missi ducis,"——

commonstrat Horatius. Illum, cui ingenium bonum est, naturam nihil a seipso exequendum reliquisse, censeat non oportet. Quamvis viri

viri aliquot, eorum ingeniis parum cultis, claritatem ſibi in ſcientiis egregiam pepererunt; plerumque tamen qui magnum, ſive in literis ſeverioribus ſive in ſcientiis humanioribus, nomen ſibimet fecerunt, non ſolum ingenio ſed etiam ſtudio abundârunt. " Imperfectus ille " vigor eſt," dicit Seneca, " ut omnibus, quæ " ſine arte ipſius tantum naturæ bono exſur- " gunt." Nihil eſt enim quod aut natura extremum invenerit, aut doctrina primum: ſed rerum principia ab ingenio profecta ſunt; at exitus diſciplina comparantur. Doctrinâ et præceptione niteſcit natura. Ubi natura et ars amicè conſpiraverint, fieri nequit, quin id ipſum, quod communi opera effecerint, omnibus ſuis numeris ſit abſolutiſſimum.

Quam latam dominationem in hominis ingenium, tyrannus hicce *(imitatio)* exerceat, nihil melius commonſtrat, quam auctorum æqualium oratio atque dictio conſimilis. Uti annotat auctor perill. de oratione differens; " there

" there is (as the ſtudy of works compoſed at " remote ages will convince any one) a cer- " tain mode of expreſſion, by which writers " cotemporary in one (even claſſical) age may " be diſcriminated as obviouſly from thoſe who " at a conſiderable diſtance have either pre- " ceded or come after them, as that by which " two flouriſhing at the ſame time are known " and diſcriminated." * Forſan ingenium mediocre ſolum, ſeſe ita abripi pateretur. Proculdubiò exſtiterunt ingenia tam acerrima, ut acumen nativum ſuum, barbarie quidem ſæculi et vitiis obſtantibus, conſervarint et exhibuerint. Notatu etiam dignum eſt, complures viros ingenio præſtantes, crebrò ſimul florere; atque ſcientias aliquot, aliquandiu maturitatem verſus celerrimè progredi. " Quis " abunde mirari poteſt," inquit Velleius Paterculus, " quod eminentiſſima cujuſve profeſſio- " nis ingenia, in eandem formam, et in idem

 " artati

* Ogilvie on Compoſition, vol. II. p. 147.

" artati temporis congruant ſpatium; et quem-
" admodum clauſa capſa, alioque ſepto diverſi
" generis animalia, nihilominus ſeparata alie-
" nis, in unum quoque corpus congregantur;
" ita cujuſque clari operis capacia ingenia in
" ſimilitudinem et temporum et profectuum,
" ſemetipſa ab aliis ſeperaverunt?" Nam cum propenſitate ad imitationem, conſociavit alma Natura laudis gloriæque aviditatem; inſtinctum hominis fermè proprium, qui " ad
" literas colendas, ad tuendam in bello pa-
" triam, ad artium omne genus, ad omnes in
" univerſum vitæ civilis virtutes, homines
" animat." Spe gloriæ languente, ingenium torpeſcit. Igitur quemadmodum omnia perobſcurè, poſteaquam ſol medius oculos perſtrinxerit, aliquandiù cernimus; ita poſteaquam lumen ſplendidum, quod in ſcientiâ quâvis emicuit, imaginationem perſtrinxerit, incognita in hâc ſcientia ægrè captamus. Aliquandiù itaque ſcientia hæc, ſpe gloriæ ſuperioris, donec fulgur tempore obſcuretur,

quaſi

quaſi deleta, parùm progreditur: ſi autem locum æmulationi ullum eſſe relictum videtur, profectus ejus illico maturatur. Atque fauſtum eſt, homines plerumque tam benè de ingenio ſuomet æſtimare, ut claritatem laudemque ex illo exſpectent.—Exemplo præclaro tuo, Ill. Profeſſor, incitante, quam feliciſſimè nuper auſi fuerunt Chemici!

Imitationis atque æmulationis imperium, in animum hominis et præſertim ingenium, eximiè illuſtrat doctrinarum artiumque ingenuarum apud populum quemvis, ortûs, meridiei et occaſûs proſpectus. Inter barbariem primum emicat ingenium ſplendidum unum et forſan alterum. Hinc et invidia et admiratio ingenia compluria incitant aluntque. Scientiæ literæque ſummo ſtudio cultæ, in ſummum paulatim aſcendunt, atque ſeſe magis magiſque inter populum diffundunt. Nunc gloriæ cupidine, fermè omnes ad ſtudia incenduntur. Minervam adorant coluntque cuncti, Muſis

ſive amicis, ſive non. Ingenia tamen oppidò pauca excellentia fert ſæculum hoc ornatiſſimum. " Ut enim primò ad conſequendos, " quos priores ducimus, accendimur, ita, ubi " aut præteriri aut æquari eos poſſe deſperavi- " mus, ſtudium feneſcit, et quod aſſequi non " poteſt, ſequi deſinit." Summo ingenio pollentes, prioribus eminentiſſimis ſeſe comparantes, atque ex pudore et timiditate (et quò magis ingenio homines præſtant, plerumque eò magis his tenentur) difficultatem præſtantiæ atque vocem hominum pertimeſcentes, ne ſe oſtendant, deterrentur. " Difficilis necnon " vero in perfecto mora eſt, naturaliterque " quod procedere non poteſt, recedit." Quod aſſequi non poteſt, non modo ſequi deſinit ſtudium, ſed quoque occupatam relinquens materiam, quærit novam; præteritoque eo, in quo eminere non poſſumus, aliquid in quo nitamur, conquirimus. Quidam famæ appetentes, exempla priorum illuſtriſſima dedignantes, et ad ſedem conſpicuam in naturæ aulâ fruſ-

trà

trà aſpirantes, veſtigia ſua per vacua, quæ pes alienus nondum preſſit, ponere nituntur; ſed judicio valdè iniquo ducti, in phantaſiarum labyrinthos errant; populumque ſpecie falſâ et novitate obcæcatum, poſt ſe ducunt. Poſteri, labyrinthos novos, ut omne inter ventoſum populum punctum ferant (tantò major famæ ſitis eſt, quàm virtutis) explorantes, populum magis magiſque ſeducunt. Ita ingenium populi, quod equidem natura fert in omnibus ferè rebus, ſeneſcit, adque nihilum venit; labentibus annis et exemplis integris incitantibus, tamen denuò revicturum.

De *Imitationis in imaginationem Imperio.*

Ad imaginationem ſeorſim et continendam et excitandam, haud parùm valet diſciplina, igiturque imitatio. Imaginationi peracri ſæpe contingit ἔνθεος quidam: hinc, niſi coërceatur,

tur, immodicè bacchatur, plus juſto concipit, vel ſe in tumorem effert. Hanc ubertatem primùm eſſe nec malam nec temerè coercendam, experientiâ accipimus. " Facile reme-
" dium eſt ubertatis ;" dicit Quintilianus, " ſterilia nullo labore vincuntur. Materiam " eſſe primùm volo vel abundantiorem, atque " ultrà quam oporteat fuſam." Medetur illi, ſi vitium quandò evadat, exemplis quam maximè æquabilibus : uti enim lapides, ſic ingenia ſibi invicem atterendo elimantur. Plerumque quidem ingenia mediocria, quia ad ſumma non aſpirant, vitiis magis vacant, quam ſublimia, quæ ipſâ, quam conſcendunt, altitudine magis in præceps vergunt. Igitur quamvis præſtantius certe ſit opus imaginationis ſublime, quod in nonnullis aliquando peccat ; quam mediocre, quod omni caret vitio : tamen hoc quàm illud imitari, ingeniis rudibus meliùs prodeſt ; homines enim, in eorum, quos multùm colunt, vitia delabuntur,

et

et quidem multò facilius, quam ad eorum virtutes aſcendunt. Quinetiam opera, quæ ſupereminent, intueri, ingenium, quantùm ipſum poſſit, adhuc neſcium, aliquandò obtundet, ejuſque vires comparatione prorſùs obſcurabit. Imaginationem attamen, quæ nervis haud indigeat, ſed torpeat, ſæpe accendent exempla illuſtria. " Multi enim ſa-
" cro alieni ſpiritûs afflatû non aliter efferun-
" tur," uti dicit Criticorum princeps in ejus aureolo libello, " ac Pythiam fama eſt tripo-
" di appropinquantem, ab exhalante illic ex
" hiatu quodam terræ anhelitû divino ſpiritû
" impleri, cœleſtique mentis inſtinctû agitatam
" conſulentibus reſponſa dare. Non aliter ab
" illâ veterum animi magnitudine, velut e ſa-
" cro Apollinis ſpecu, quædam quaſi effluvia
" in æmulantium animos deferuntur, quibus
" incitati etiam hi, quos iniquior natura ad
" iſtum animorum ardorem non ſatis inſtruxe-
" rat, cum alienâ ſimul granditate, ad ſub-

" limitatis

" limitatis faſtigium auferuntur."* Forſan omnes, qui acie imaginationis haud obtuſâ pollent, animadverterunt, quanto æſtû ferveat imaginatio, iis opera alienæ ſublimia contemplantibus. Rouſſeauvius hoc pro ingenii indice poſuit; de ingenio muſico differens: " Veux tu donc ſavoir ſi quelque étincelle " de ce feu dévorant t'anime? Cours, " vole à Naples écouter les chefs-d'œuvres " de *Leo*, de *Durante*, de *Jommelli*, de *Per-* " *golèſe*. Si tes yeux ſ'empliſſent de lar- " mes, ſi tu ſens ton cœur palpiter, ſi des treſ- " faillemens t'agitent, ſi l'oppreſſion te ſuffo- " que dans tes tranſports, prends le *Metaſtaſe*, " et travaille; ſon Génie, échauffera le tien; " tu créeras à ſon exemple: c'eſt-là ce que " fait le Génie, et d'autres yeux te rendront " bientôt les pleurs que les Mâitres t'ont fait " verſer.

* Longinus de ſublimitate, Tranſl. Tollii. Notandum eſt, Longinum, omne " quod et ſemper placeat, et " ubique, et omnibus," ſublime habere.

" verſer. Mais ſi les charmes de ce grand art " te laiſſent tranquille, ſi tu n'as ni délire ni " raviſſement, ſi tu ne trouves que beau ce qui " tranſporte, oſes-tu demander ce qu'eſt le " Génie? Homme vulgaire, ne profane point " ce nom ſublime. Que t' importeroit de le " connoitre? tu ne ſaurois le ſentir". * Quintilianus, inter alia ingenii in pueris ſigna, propenſionem honeſta imitandi ponit.

Quamvis autem exempla bona, in ſtudiis orationis et humanioribus artibus, imitari, laudabile ſit; et talis imitatio " tantum abſit, " ut furti nomine inſimulanda videatur, ut " potius velut quædam excellentium ſeu for- " marum, ſive ſimulacrorum, aut operum, " exiſtimanda ſit expreſſio, atque exemplum:" veruntamen quemlibet ſerviliter imitari, vim inventricem animi prorſus hebetat.

* Dictionnaire de muſique—*genie*.

Enthuſiaſmum imitatione propagari, jam notavimus: ille eſt quidem vera inſaniæ ſpecies (*melancholia ſaltans*, atque *enthuſiaſtica Sauv.*); ac quoque motus animi turbati, apud Poetas alioſque, inſaniam fugacem conſtituunt. Sed præter has, aliæ inſaniæ varietates minùs fugaces, aliquando imitatione ſerpere videntur. Quod "*punctum honoris*" dicitur, vera eſt inſania, quæ olim vigebat epidemicè, atque quâ ad ſingularia certamina provocabantur quidam, honoris ſui vindicandi gratiâ. Fanatiſmus (*dæmonomania fanatica Sauv.*), qui "ad in-" credibilia facinora millenos compulit; et ad " patibulum ignemve deduxit", et qui igitur inter inſanias jure numeratur, imitatione certè propagatur *. Melancholiam cum tædio vitæ eſſe quoque quaſi contagioſam, probare videntur multa.

Imitationi etiam huic reſiſtit animus alitèr fortiùſque

* Ille forſan intellectûs idolis, quæ poſtea tractamus, potius eſt referendus.

fortiùſque commotus; quod inter alia exempla docet Plutarchi narratio de puellis Mileſiacis; illæ quondàm ardebant vehemente mortis cupiditate, cui finis, modis aliis incaſſùm tentatis, tandem factus eſt ſenatûs decreto, ut quæ prima ſuicida reperta foret, ea mortua omninò nuda in mediâ plateâ exponeretur.

Gentes quaſdam, magis quàm alias, melancholiæ obnoxias eſſe videtur: in Aſia Minore, Egypto et Arabia, uti teſtantur auctores *, præſertim viget. Regionum harum incolæ plerumque gaudent animis perquam vividis, perturbationi vehementi admodum pronis, voluptatis valdè appetentibus atque dolores ægrè patientibus †, et denique temperamentum *voluntaritatis adauctæ* planè indicantibus.

* Aretæus, Galenus, Avicenna, Bontius, Proſper Alpinus, &c.

† Lorrius de Melancholia, tom. 1. p. 84.

Uni melancholiæ ſpeciei, ſcil. *noſtalgiæ*, gentes aliquot et præſertim monticolas eſſe opportuniores, conſtat. Ex affectionibus, quas habitus locorum patrii imaginationi præbent, propenſitatem hanc exoriri, quibuſdam videtur. "Precipices, rocks and torrents," dicit Ill. Beattie, "are durable things, and being more "ſtriking to the fancy than any natural ap- "pearances in the plains, take faſter hold of "the memory; and may therefore more fre- "quently occur to the abſent native, accom- "panied with an idea of the pleaſures former- "ly enjoyed in thoſe places, and with regret "that he is now removed to ſo great a di- "ſtance from them. To which we may add, "that the daily contemplation of the grand "phænomena of nature, in a mountainous "country, elevates and continually exerciſes "the imagination of the ſolitary inhabitant; "one effect of which is to give thoſe ſenſibi- "lities to the nervous ſyſtem, which render "the mind in a peculiar degree, ſuſceptible of

"wild

" wild thoughts and warm emotions." * Hujuſmodi affectiones, intervallo annorum aliiſve forſan pene deletas, ad animum multa revocabunt. Muſicen, effectum hunc mirum in modum edere dicitur: atque veriſimile eſt, alium domum reditionis deſiderio captum ſpectare, idem, ſicut in morbis ſpaſmodicis accidit, in altero concitaturum.

De *Imitatione, quatenus Intellectum formet et regat.*

Hominis facultates, quibus, juxtà ac cætera animalia, eſt præditus, multò citiùs, quàm judicium, contingunt. Judicium lentiſſimè vireſcit.

* Diſſertations, Moral and Critical, p. 87. Alia in monticolis aliquot, propenſioni huic favent; velut, apud Helvetios, libertas, quâ domi quiſque potitur; et apud Caledonios, caritates, quibus eâdem gente orti, uſque etiam ad hunc diem, ſibi invicem devinciuntur.

reſcit. Originem ejus et profectum planè explicare, mentis humanæ non eſt: tamen ſatis conſtat, hominum commercium ad judicium ſaltem formandum admodum opitulari.

Ut ad hoc valeat hominum ſocietas, propenſitate in imitandum, æque ac credulitate nativâ *, præditum eſt genus humanum. Solitarius barbarus, a viro inter ſocios educato, quamvis præſidiis diſciplinæ fermè nullis ſuppeditato, intellectû multùm diſtat. Quidam equidem exiſtimarunt, commercium inter homines loquendo effectum, ad intellectum conſtituendum tam eſſe neceſſarium, ut magis deſit cæteris animalibus loquela, quàm "intel-"lectus vel cogitatio quædam." Imò etiam compertum eſt, viros feros, qui loquelâ nunquam uſi fuerant, vix memoriam habuiſſe †.

Philoſophi

* Reid's Inquiry into the Human Mind.

† Halleri El. Phyſiol. V. 549.

Philoſophi antiqui naturæ hominis ſociabili, rationalem ferè ſemper annectunt: appellant hominem τὸ ζῶον λογικὸν καὶ πολιτικὸν, λογικὸν καὶ κοινωνικὸν, λογικὸν καὶ ἥμερον *.

Ut imitatio hæc ſatis valeat, inſtructione quidem hominum præceptiſque opus eſt; quamvis, uti jam diximus, quiſque multa diſcat citiùs, memineritque libentiùs, ex imitatione fortuitâ, quam e præceptis inſtitutis. Educationis humanæ munus eſt, quæ ſit vena nativa, exquirere; atque, nihil diſſuadente, illam fovere et dirigere; naturæ enim, ſi adverſetur, nervos omnes et mentis et corporis frangit. Hoc quidem de ingenio æquè omni, verum non eſt. Sic enim præſertim imbecillis ingeniis obſequendum eſt, ut tantùm in id, quò vocat natura, ducantur; quia, quod ſolùm poſſunt, id neque amplius, efficient. Si vero liberalior natura cuique ingenio contigerit, diverſa

* Epictetus et Antoninus, paſſim.

diverſa ſtudia huic meliùs convenient; nam licet in aliquod pronius, aliis tamen multò minùs repugnabit; atque forſan fermè paria faciet, ac in iis, in quibus indoctum emineret. Qualiſcunque educatio humana ſit, quamvis vitiis multiplicibus ſæpe abundans, tamen ſemper nullâ ſanè melior eſt. Atque longè equidem a ſenſû noſtro abhorret is, qui fert mentis humanæ vires expolitione atqúe humanitate hebeſcere, et hominem rudem barbarumque expolito excellere *. Proculdubiò barbaris quàm excultis ſenſus externi (viſus et auditus) uſû callidiores ſunt; et forſan dotes inſtinctivas quaſdam in his obſcuras, illi exhibent: at barbaros excultis mente præſtare, quid demonſtret? Natura ipſa mentis docet, quam inepta ſit propoſitio hæc: quum enim "mens ſemper aliquid aut anqui-" rat, aut agat, videndique et audiendi delec-" tatione ducatur;" ut hinc ad humanum cultum,

* Ancient Metaphyſics, vol. II. p. 313.

cultum, qui, uti ab his dicitur, animum peſſundat, homines deducantur neceſſe eſt; at natura nuſquam in pejus niſû ſuo prolabitur. "O vitæ philoſophia dux! O virtutis indaga-"trix, expultrixque vitiorum! quid vita ho-"minum ſine te eſſe potuiſſet? Tu urbes pe-"periſti; tu diſſipatos homines in ſocietatem "vitæ convocaſti: tu eos inter ſe primùm domi-"ciliis, deinde conjugiis, tum literarum com-"munione junxiſti: tu ad animi modeſtiam "magnitudinemque eos erudiiſti: tu inventrix "legum, tu magiſtra morum et diſciplinæ fuiſ-"ti. Ad te confugimus: a te opem peti-"mus."

Intellectus, æque ac corpus noſtrum, magnæ morborum cohorti eſt obnoxius. Quorum aliis in intellectû omni, radices naturâ inſunt. Hæc (quæ *idola tribûs* a magno Verulamio nuncupantur) ex principiis mentis omnis communibus et naturaliter utiliſſimis, vel deficientibus, vel luxuriantibus, vel haud benè guber-

natis, exoriuntur *. Alia intellectûs idola (*idola ſpecûs* Bac.), hominis individui ſunt: "habet enim unuſquiſque (præter aberrationes "naturæ humanæ in genere) ſpecum ſive cavernam quandam individuam, quæ lumen "naturæ frangit et corrumpit;" inter alias cauſas, "propter educationem et converſationem "cum aliis, vel propter prælectionem librorum, "quos quiſque colit et miratur." †

Animi affectionum, e quibus malè ſe habentibus idola tribûs exoriuntur, una eſt propenſitas, quâ ſententiæ aliorum judiciaque animo noſtro potiuntur: quæ propenſitas, nobis, uti vidimus, primâ ætate perquam neceſſaria, et quoque judicio maturo ſanoque ſæpe perutilis eſt; ſed quæ intra metam rectam non coercita, diriſſimos,

* Reid's Eſſays on the Intellectual Powers, Eſſ. VI. ch. 8.

† Novum Organon, § 42.

diriſſimos, uti commonſtrant ſacrorum, literarum civiliumque annales, effectus edit. Stagyritæ magni dogmata pro rationis normate diu erant: qui iis adverſabatur, hominum anathematibus ſe obnoxium reddebat. Intactâ ferè et illibatâ naturâ, verſatus fuit quiſque " in communibus notioni-
" bus, atque earum inter ſe, comparatio-
" ne, colliſione et reductione." Nunc tamen magnus Baconus, ſapiens Naturæ primus, ex ſervitute hâc homines emancipavit; philoſophiam ab his inanibus avocavit, et ad veram naturæ inductionem adduxit; edocuitque " ſummæ puſillanimita-
" tis eſſe, authoribus infinita tribuere, au-
" thorem autem authorum atque adeo om-
" nis authoritatis Tempori, ſuum jus dene-
" gare; veritatem non a felicitate tempo-
" ris alicujus, quæ res varia eſt, ſed a lu-
" mine naturæ et experientiæ, quod æter-
" num eſt, eſſe petendam; atque excita-

" tionem notionum atque axiomatum per
" inductionem veram, esse proprium re-
" medium ad idola arcenda et fummo-
" venda."